A ſignificat. Quem enim diligit Dominus, corripit, ſiue erudit, ac flagellat omnem filium, quem recipit. Quem locum ita Symmachus tranſtulit: Succidimur enim repente, & auolamus. Quinta editio hoc modo: Quoniam tranſiuimus celeriter, & diſſoluimur. Et eſt ſenſus. Poſt ſeptuaginta annos, &, ut multum, octoginta, quibus hominũ uita tranſigitur, cum anima fuerit a corpore ſegregata, uento ſimiles auolamus: ſiue, quia ſupra herbæ uirenti, & florum pulchritudini, & ad ueſperam ſiccitati hominem comparat, nunc, pro ariditate ueſperæ, ſucciſionem florum ponit. Et cum pertranſierit, inquit, omne quod uiuimus, ſubita morte diſſoluimur. Quod autem Septuaginta dixere; Quoniam ſuperuenit manſuetudo, & corripiemur; hunc habet ſenſum. Poſt ſeptuaginta annos, & octoginta, cum uenerit Domini manſuetudo, & dies nobis mortis ingruerit; non iudicabimur iuxta meritum, ſed iuxta clementiam: & quæ putatur correptio eſſe, eruditio eſt, & doctrina. Satisq. miramur, quid uoluerint uerbum Hebraicũ gas his גז חיש, Septuaginta, Theodotion & Sexta editio trãsferre manſuetudinem, cum Aquila, Symmachus, & Quinta editio feſtinationem, & repente celeriterq. tranſtulerint. Quis nouit fortitudinem iræ tuæ, & ſecundum timorem tuum indignationem tuam? Septuaginta: Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Inter Hebraicum & Septuaginta diuerſa diſtinctio eſt. Septuaginta enim dinumerationem timori & furori Domini copulant. Porro Hebraicum ſequenti aptat uerſiculo, ut ſequatur: Vt numerentur dies noſtri, ſic oſtende, & ueniemus corde ſapienti. Quod breuiter ita nobis diſſerendum uidetur. Quis poteſt noſſe, quam diu ira tua,
B ex qua timor naſcitur humano generi, perſeueret, niſi te docente, qui Deus es? Itaque obſecro, ut tempus uitæ noſtræ indices nobis, quo poſſimus, corde ſapienti, tuo nos iudicio præparare. Quod autem dixit: Quis nouit fortitudinem, ſiue poteſtatem iræ tuæ; & ſecundum timorem tuum indignationem tuam: oſtendit eſſe difficile, iræ timorisq. & indignationis Dei ſecretum rationemq. cognoſcere. Vnde & propheta lacrymabiliter deprecatur: Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Non enim corripit, ut *Pſal. 6. 37*
interficiat, atque diſperdat, ſed ut corrigat, & emendet. Quamobrem & in Oſee, populo Iudæorum, cui multum iratus eſt, dicit ſe nequaquam iraſci, nec uiſitare nurus eorum, *Oſee 4*
cum adulterauerint. Et per Ezechielem loquitur ad Hieruſalem: Iam non iraſcar tibi, & zelus meus receſſit a te. *Ezech. 16*
Et in uerbis dierum ſonat, quando pergit Iſrael aduerſum hoſtes in *1. Par. 11*
prœlium corde pacifico. Vt numerentur dies noſtri, ſic oſtende, & ueniemus corde ſapienti. Septuaginta: Dexteram tuam ita notam fac, & eruditos corde in ſapientia. Quod Aquila, Symmachus, & Quinta editio ſic uerterunt: Dies noſtros ſic oſtende, ut ueniamus corde ſapienti. Errorq. perſpicuus eſt, cur, pro diebus, Septuaginta, dexteram, dixerint. ימינו iamenu quippe uerbum compoſitũ eſt, ſignificans dies noſtros: quod in ſingulari numero ſi ſcribatur, extrema littera, quæ appellatur num ן, exprimit dexteram: ſicut eſt illud in nomine Beniamin, qui interpretatur, filius dexteræ. Sin autem ם habeat, diem uel dies ſonat. Eſt autem ſenſus: Numerum annorum dierumq. noſtrorum, quibus in hoc ſæculo nos uiuere decreuiſti, oſtende nobis, ut præparemus nos aduentui tuo; &, contempto er-
C rore mortalium, ad te pergere feſtinemus; cupiamusq. præſentiam tuam; & ad te feſtinemus corde ſapienti. Nihil enim ita decipit humanum genus, quam, dum ignorant ſpatia uitæ ſuæ, longiorem ſibi ſæculi huius poſſeſſionem repromittunt. Vnde & illud egregie dictum eſt: Nullum tam ſenem eſſe, & ſic decrepitæ ætatis, ut non ſe adhuc uno plus anno uiuere ſuſpicetur. Ad hunc ſenſum pertinet & illud, quod dicitur: Memento mortis tuæ, *Eccl. 7*
& non peccabis. Qui enim ſe recordatur quotidie eſſe moriturum, contemnit præſentia, & ad futura feſtinat. Hoc eſt, quod Dauid in alio precatur loco dicens: Ne auferas me in di- *Pſal. 101*
midio dierum meorum, priusquam abeam, & non ſubſiſtam: quod ita exponitur. Ne eo tempore facias me mori, quando adhuc putabam me uicturũ, ut poſſim peccata corrigere pœnitentia. ſi enim hoc feceris; inuẽtus in dilectis meis eſſe deſiſtam. non quod ſpem reſurrectionis neget: ſed quod corã eo ſe neget poſſe ſubſiſtere, apud quem omnes, qui in uitiis perſeuerant, pro nihilo reputantur. Vbi nos interpretati ſumus, eruditos corde in ſapientia, alii tranſtulerunt, compeditos, uerbi ambiguitate decepti. ſi enim dicas, πεπεδημένους, compeditos; ſin autem πεπαιδευμένους, eruditos ſignificat. Reuertere Domine uſquequo, & exorabilis eſto ſuper ſeruos tuos. Septuaginta ſimiliter. Quia agimus pœnitentiam; & ſciẽtes uitæ noſtræ breuitatem, ad te corde ſapienti cupimus peruenire: & tu Domine reuertere ad nos. Peccatis enim noſtris longe receſſeras: & dimiſeras nos, ut ambularemus ſecun-
13 dum uoluntatem, & cogitationes noſtras. * Quod autem infert, uſquequo, illam habet intelligentiam, quam in duodecimo pſalmo legimus: Vſquequo, Domine, obliuiſceris me in finem?